

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES JACOBUS DÖBELIUS,
Medicinæ Doctor, Professor Publicus, Poliater, & Facultatis suæ
DECANUS,
proponit
Ipso SS. NATIVITATIS FESTO,
More Academico,
SACRATISSIMAM TOTIUS MUNDI
NOCTEM,
**NATIVITATI SERVATORIS
NOSTRI
JESU CHRISTI
CONSECRATAM,**
LUCEMQUE EA ORTAM,
CIVIBUS ACADEMICIS,
PIE DEVOTEQVE RECOLENDAM.

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILI, Universitatis Typogr.



Uousque tandem, in peccatorum tenebris, terrestris vanitatis luto gravis moles latitas? & quo usque, Securitatis pressa nocte, in damnatis mundi cunabulis, securè quidem haec tenus; sed miserè stertis? Quid juvat, quotidiani Luminis præbitorem oculis excipere Corporis; nisi perpetuum animi Lumen oculis excipias Mentis? aut quid juvat, ad quotidianum creati Solis ortum pro reperire, operasve dispescere diurnas; nisi in Sole exultes in creato, nunquam occidente, nunquam non novo, Intellectus tui? &, quid denique erit, in Mundani hujus Solis lumine, opera instituisse tenebrarum; cum in densis his & plus quam Cimmeriis quasi Mundi tenebris, opera erant Lucis maximè urgenda? Expergiscere itaque molesta animo moles! Lux orta est tenebris: quo usque Spiritum, à DEO paratum, FILIO DEI reparatum, in terreorum deliriorum cœno quasi consepultum tenes? ne queat ad Lucem, sibi quoque ortam, nisi colendam, recolendam; vel ad incolendam aliquando eniti. Surgendum est, ubi ubi hæseris, lenta corruptionis massa! & properè quidem est surgendum: propulsaque Securitatis nocte, te-



58700 (29)

nebrarum discussâ Caligine, Nox præsens, quovis
die splendidior, debitâ cum Reverentiâ pariter
& Gratitudine contemplanda. O verò amabi-
lem! ô venerandam! ô ab initio jam determina-
tam! Patribus indicatam! Patriarchis ostensam,
Regibus demonstratam, Prophetis prædicatam,
tot Typis & Carminibus, tot Emblematis & My-
steriis præfiguratam & præeffigiatam, tot seculis
desideratam! ô nunquam satis prædicatam Salu-
tis nostræ noctem! quanta & qualia, ultimâ hâc
vitæ cernimus conditione, tuâ Luce? & quam il-
lustria elicimus novæ vitæ argumenta? Hæc nox
exordium est Seculi renovati. Hac nocte
natus est dierum Auctor! Hac nocte natus à
Matre, qui ante secula genitus à Patre. Hac no-
cte natus, qui ante omne erat tempus, Ævi-
tum Conditor, & Æternitatum Posseſſor. Hâc
nocte genitus, qui omnia creavit. Hâc nocte
Humanitatis sumpsit principium, qui est abs-
que omni principio, quod in principio jam
erat. Hâc nocte misertus est Hominis, in pec-
catis mortui, Amator Hominis, ut ipse Homo fie-
ret, citra peccatum. O indicibilis Misericordiæ
& Dilectionis viscera! quorum dulcedine animus
quasi satiatus exultat, prægustum jam sentiens æ-
ternarum voluptatum, conspectus, & consortii
Ejus, qui hâc nobis noctenatus! Natus est DEUS

& HOMO, JESUS CHRISTUS: qui Mediator erat inter DEUM & Hominem constitutus. Quasi nudus Homo natus est: per ineffabilem suam Humanitatem, inhumanum mortalium genus, pristinæ redditurus Humanitati! Natus est Filius, Patris quidem DEI in Cœlis; Matris vero virginis, in his terris: ut nos, toti terrestres facti, Cœlo renauceremur; ut Satanæ hactenus Mancipia, in Filios adoptaremur Cœlestis Patris. In Bethlehem natus est, panis domo: qui est verum Cœli Manna, verus vitæ panis, ad vitam nos satians beatorem. Pauper est natus: divitias nobis recuperaturus, per Adamum amissas, jusque restituturus filialis hæreditatis. Inter bovem & asinum creditur natus: In dignitatem repositurus priorem, bobus & asinis per peccatum assimilatos. Præcipitati eramus in barathrum Mortis: sed natus est Dux vitæ nostræ. Fraudulentiam Satanæ eramus præcipitati: sed hâc nocte natus est Satanæ Victor. In tenebris natus: qui est Lux Mundi, diei suæ splendori restitutura, insuperabilis atque indicibili prorsus tenebrarum nocte pressos. Obtenebrata hactenus erat imago, à quâ repercuti debebat radius, cuius in Luce Lucem videremus. Depressa erat, per nos, in Caliginem, quæ à DEO erat ad Lucem creata: sed hâc nocte Lux intercessit Gentium, tenebras illu-

minans, ex caligine nos Tartari ereptura, inque
beatissimam repositura sedem, beatissimæ lucis.
Quàm nunc fugantur terrestrium curarum, ægri-
tudinum, & sollicitudinum Nebulæ? Quàm in-
fluit Beatitudinis radius in Medullas & ossa?
Quàm novis animum induit viribus? ut, attonitis
pupillis se erigat in amplexum, rectaque exupe-
rans desideria Mortalium, in interminabile se ra-
piat consortium hujus Lucis. Per est necessaria
cuivis, & per quam grata Solis Lux, cuius splen-
dor intuitum largitur rerum mundanarum. Ea
si deficiat; deficit omnis omnium ornatus, de-
formisque cuncta in cultu horrent. Sed tamen,
Hujus illuminati noctis Sole, vel in corporis sui
carceribus, Cœlum concidunt, & Solem Mun-
di, Solumq; despiciunt. Ecquid verò Nos, tergi-
versatione inexcusabili cunctamur, CIVES ACADE-
MICI? quin Creaturarum omnium relinquamus cla-
ritatem, ad Lucem Nos convertentes Creatoris;
ad Lucem Nos convertentes Hujus noctis; ut in
Nobis etiam nascatur, qui hâc est nocte natus,
JESUS CHRISTUS? Quantum foret, conce-
ptum esse & natum Nobis; nisi idem concipiatur
& nascatur in Nobis? O verò heic imperscruta-
biles Domini vias! O ineffabilem utriusque
Mundi harmoniam! Formam introducturus
Creator Mundo majori, immittebat Lucem: &

Minoris dicti mundi Forma in Luce subsistebat
Imaginis divinæ. Ea, defectione deformata,
Adami prioris, Satisfactione veniebat reforman-
da, Adami secundi. Illâ, in abyssum detrudebam-
ur confusionis: Hac, in Palatum reducimur
gloriosæ illuminationis. Verum enim verò, non
venit ad hanc lucis Gloriam, nisi, in quo natus
fuerit CHRISTUS. Sed ille non nascitur in No-
bis: nisi in tempore admiserimus Gratiae lumen.
Haud superveniebat mundo instituendo lux:
priusquam aquas fœcundasset SPIRITUS DEI.
Ut in nobis, nitori nostro restituendis, oriatur
Lux Gratiae; ut Lux oriatur hujus noctis; aqua
prærequiritur fœcunda: seriæ pœnitentiae la-
crysmae prærequiruntur. Expressus Citreorum
malorum succus, atrorem tollit linteorum candi-
diorum: Cordis coangustati lacrymis, maculas ab-
stergimus peccatorum. Mundum cubile amat
munditiei Dominus: abstersione lordium cordis,
mundum nascituro Christo cubile paramus. Na-
tivitatem Ejus chorus comitatur Angelorum:
& quid acceptius fuerit Angelis, lacrymis pœni-
tentis? Plus erit gaudii in cœlis, super Uno pecca-
tore resipiente, quàm nonaginta justis. In Ca-
nanæis Nuptiis reddebat ex aquâ Servator vi-
num: Esse verò pœnitentis lacrymas Angelorum
Nectar; ignorat nemo. A Virgine natus est

Chri-

Christus, viro despōnsata: Non nascitut in nobis,
nisi Corda præextiterint, Sibi soli relicta, non Sa-
tanæ, Mundi, Carnis libidini subiecta, Pauper est
natus, qui cum Patre & Spiritu æternum regnat.
Ut in nobis nascatur: pauperes excipiamus pau-
perem, pauperes Spiritu, divites DEO. Sufficit
nobis omnibus, in omnibus, à quo sunt omnia.
Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus. Ut in no-
bis nascatur: paupertati succuram, Nascituri entis.
Quicquid abjectissimi pauperum fecerimus; fe-
cimus Ipsi. Absoluto Solis mundani circulo natus
est Christus: Ut nascatur in nobis, mundanarum
vanitatum Circulus est abrumpendus. Cum
redeunte, diemque paulatim prolongante Sole,
creditur Sol noster natus, unde cum Naturali, Spi-
ritualis quoque Nox est progressa, & Dies appro-
pinquavit. Abjiciat opera Tenebrarum, renunciet
Commissationi, Ebrietati, Cubilibus, Impudicitiæ,
operibus Noctis, nec credat tenebras esse, aut pa-
riétibus operiri; sed Lucis amore, & honestatis
curâ, velut in die ambulans, opera sua corā Deo &
hominibus cupiat lucere, quisquis Spiritualē, Ser-
vatoris sui Iesu, Nativitatem apud se exoptat. Sub
Sole Cœlesti, cœlestia par est, cogitemus. Angu-
stus sit animus, quem terrena delectant: angustus sit ani-
mus, quem terrena cruciant. Haud jam ulterius Mun-
dani; sed Cœlicolæ sumus, quorum πλήρημα est in Cœ-
lis. Sub Meridiano habitantes, sicubi Solem senserint

verti-

verticalem; Umbram quasi pedibus culcant. Exortus
nobis est Sol justitiae! illuxit dudum Lux gentium! eceur
diutius vanitatis spargamus Umbram, pedibus concul-
candam? Circa Nativitatem Servatoris circumdabat
CLARITAS DOMINI Pastores. Domini sit, qui Domi-
num expetit: Ei soli se mancipando. Summa Libertas
est, Huic Domino inservire. Sed & Dominus sit, qui Do-
mini vult esse: sibi imperando, desideria Terræ subjugan-
do, Satanæ stimulos obtundendo.

Quis volet esse potentem, Longè tua jura tremiscat,
Animos domet ille feroce, Et serviat ultima Thule;
Nec vieta libidine colla Tamen atras pellere curas,
Fædis submittat babenis. Miserasquè fugare querelas
Etenim Indicalicet Tellus Non posse; Potentia non est.

CLARITAS DOMINI circundabat Pastores. Claritate
Domini coruscat, qui particeps fit Nativitatis sui JESU:
atq; adeò corruscat, ut fiat ipse & Filius Lucis, & Lux Mun-
di. Claritate corruscat: ut ad quemvis Lucis adspectum,
Lucem exhibeat DEO & proximo, quâ nascitur in nobis
DEUS, & nos DEO renascimur, per hunc natum JESUM!
Claritate coruscat: ut componat se ad proficiscendum
hinc, ubi statio nulla, ubi mansio nec hoc momento est
certa, illuc, ubi verâ fide, verâ Vitæ constantiâ, & mansu-
rus, & floritus, & gavisurus est semper. Claritate co-
ruscat: ne cum errantibus in viâ erret, corruptam ve-
getur Mephitim; sed per hoc atrum mundi chaos, splen-
didam jam & præpatentem oculis, æternâ vitæ semitam
consectetur. Ab hâc, ne quisquam nostrum unquam de-
flectat; sed omnes Gratia & Nativitatis Tuæ Luce, quod-
vis occurrens tenebrosum, felix superemus, inq; Luce ali-
quando Gloriæ, cum Cœlitibus tuis, æternâ Gloriâ
Te Glorificemus; propter SS. Tuam Na-
tivitatem Ipse
JUVa, Jesu DULCIssIME!